

V I R O
ILLUSTRI ET GENEROSO
JOHANNI CAMBELL,
DOMINO GLENORCHIAE,
ILLUSTRISSIMI COMITIS
D E
B R A I D A L B A I N ,
FILIO MAJORI ET HEREDI,
SERENISSIMARUM PRINCIPUM
MAGNAE BRITANNIAE,
STABULI PRAEFECTO.

INter omnes, quos, ordinis
& loci Tui, adolescentes
disciplinae meae traditos
habui, nullum unquam me
vidisse liquido adfirmare possum, qui
suavitate ingenii, morum elegantia &
amabilitate, vitae quoque, inter tot
benignae fortunae blandimenta, inte-
gritate, facilius omnium animos cape-
re, & ignotos etiam sibi conciliare po-
terat.

DEDICATIO.

terat. Paucos etiam cognovi, qui acriore in omnia humanitatis & elegantiae studia contentione niterentur, & generis nobilitatem, quae summa Tibi & antiquissima contigit, bonarum artium dote & ornamento illustrare conarentur. Natus es in domo, ab ultima gentis tuae memoria, virtute & meritis insigni, & à Patre, maximi animi & consilii viro, impositus gremio & genibus Avi, Sapientissimi Senis, & ex cujus ore omnis saepe Scotia veriora & certiora, quam olim Graecia ex Pythii Apollinis oraculo, responsa accepit. Ab his, prudentia civilium rerum illustribus viris, prima illa virtutis & honestatis femina tenerae menti inferi sensisti, quae jam in uberriam & Patriae tuae salutarem messem excrescere incipiunt. Cum vero ad nos trajiceres, ut in hoc non tantum Belgii, sed totius Orbis celeberrimo sapientiae & doctrinae templo, iis artibus, quibus magna ingenia

DEDICATIO.

genia ad amplioris fortunæ cultum informari solent, initiareri, rectique & æqui meditatione juveniles impetus cohibere, & præceptis liberalium disciplinarum rudes primæ adolescentiæ annos expolire disceres, tam egregia statim indolis tuæ maturitas enituit, ut facile ad excellentiam quamdam, inter juventutis principes, adspirares. Me vero Tibi conciliabat sapientissimi adolescentiæ tuæ rectoris, Georgii Waddellii, amicitia & usu, per longum temporis spatium, mihi conjunctissimi, & cujus manibus & consiliis tot insignes & ad omnem virtutem formatos viros Britannia ostentare potest, benignitas & voluntas. Quicum, antequam Te ad disciplinam nostram adduceret, ea de ingenio & moribus tuis prædicasset, quæ non nisi de paucis in hac tristissima temporum perditorum corruptela, vere prædicari possunt, incredibilem in me Tui videndi ardorem excitabat.

DEDICATIO.

faustissima haec laetissimae fortunae auspicia & incrementa, sed non dissimulare possumus, ingens Te Tui nobis desiderium reliquisse, ut qui fructu suavissimæ tuæ consuetudinis carere cogamur. Noli ergo aegre ferre, sed aequi bonique consulere, si ad leniendum illud desiderium, quod vix ferre possum, hoc, leve sane & vix dignum quod recipias, munus ad Te adlegem, quod, si tractare & inspicere dignatus fueris, mei forte apud Te memoriam renovare poterit. Accipe fronte, qua olim me excipere solebas, placida & benigna hoc, non tam ingenii & doctrinae meae, quam amoris & observantiae, qua Te prosequor, monumentum, Velleii Paterculi opusculum. Neque tam indignum esse tua persona hunc libellum esse puta, ut non inde aliqua Tibi in exemplum vitae civilis & aulicae, in quam ingressus es, sumi possint. Cum enim vera & fere unica sit

DEDICATIO.

vitae magistra Historia, quid bene-
natis & in spem amplissimam cres-
centibus, jucundius simul & utilius
obvenire potest, quam si illa, quae
in primis annis ex antiquarum gen-
tium annalibus olim facta esse di-
dicerunt, nunc oculis & usu quoti-
die evenire experiantur? Neque Tu,
credo, facile in illorum sententiam
descendes, qui parum nostra interesse
putant, quid in diversis orbis par-
tibus olim egerint Viri, pacis & belli
artibus inclyti; qui jam dudum sum-
mam ad Te ex praeteriti temporis
monumentis utilitatem rediisse eā tra-
ctando cognovisti, & vetera illa &
exoleta exempla, expressam nobis
imaginem & speciem praesentis aevi
exhibere deprehendisti. Non enim,
ut longinquitas temporis aliam regnis
& civitatibus faciem inducit, ita
mores quoque & ingenia hominum
diversa nunc reperiuntur, sed eas-
dem adhuc, licet in alio theatro,
partes agere omnis ordinis viros con-

DEDICATIO.

stat. Regiae artes , quibus imperia
acquirere , fines latius proferre , ju-
ra sibi olim data extendere tentant ,
ministrorum & purpuratorum machi-
nationes & Sisyphii labores , qui-
bus sibi opes & potentiam parare ,
aemulos dejicere & ipsos sibi aliis-
que imperantes in potestate habere
conantur , non aliter hodie atque
olim adhibentur. Turbant genus
humanum eadem , quae prius , vitia :
Avaritia & cupiditas à vero virtutis
tramite aequae nunc transversos ho-
mines agunt , ac quondam : spoliare
cives & hostes ex aequo insatiabilis
auri & argenti fames perseverat. Am-
bitio , quae omnia pudoris & justitiae
repagula rumpit , ad quidvis au-
dendum generosissimos etiam animos
impellit. Religionis & pietatis spe-
cies turpissimis & infandis facino-
ribus velamenta quaerere nondum
desistit. Denique nihil hodie fieri ,
quod non factum aliquando fuisse
docent annales , videmus. Quae
cum

DEDICATIO.

cum ita sint , quid ad laudem & vitae publicae privataeque instituendae prudenter splendorem praestantius excogitari potest , quam praesentia praeteritis conferre , & ex utrorumque comparatione eam sibi rerum agendarum sollertiam parare , quae ad omnes fortunae vicissitudines , & casus peccus bene praeparatum & firmatum nobis praestet ? Jactent sapientiae doctores , severissimae , & quae humanam sortem excedit , virtutis rigidissimae praecepta & enuntiationes , quibus solis sedes juventutis animos polire , & ad virtutis & prudentiae studium & amorem quosvis inflammare posse contendunt. Nos magna illa effata , quae ridicula saepe ambitione & eruditionis exquisitae pompa in vulgus emitti solent , parum conferre ad eradicanda mentis humanae vitia , & virtutis sapientiaeque cultum ingenerandum censemus. Philosophari quidem

DEDICATIO.

dem necesse esse credimus, sed, cum Neoptolemo illo, paucis. Omnino, haud placet. Discendum esse non solum quid deceat, & aequum fasque sit, sed praecipue quid fiat fierique soleat, arbitramur. Non à sibi placentibus magistris, & qui omnem vitam in museis & umbra latentes peragunt, sed ab iis, qui se humanitati accommodantes, & in luce & inter homines agentes, ingenia aestimare, mores diversorum cognoscere ipso magis usu & rebus, quam praeceptis, monstrare possunt, formari debent generosae adolescentiae pectora. Quae ubi recti & aequi prima principia, quae in facili posita, & brevi tradi possunt, arripuerunt, deinde ex praeteritarum rerum similitudine res praesentes aestimare, consilia & conjecturas de futuris ex eventu anteaactorum capere promptissime poterunt. Numquam ita formatus Vir, ad nova & inexpectata stupebit,

D E D I C A T I O.

bit, sed ad subita paratum semper ingenium & mentem adhibebit, ad res adflictas erigendas remedia, ad prosperas moderandas modum inveniet, & inter depravatissimos aularum & curiarum mores, clavum semper rectum, sine inani sapientiae ostentatione, tenebit; & patriae civibusque suis non imaginariam, sed veram virtutem exhibebit. Hanc Tu, nobilissime Adolescens, viam feliciter ingressus, jam limen Templi, quod Honori & Virtuti consecratum est, liberaisti; hac eadem procedens ad ampliorem & meritis tuis debitam dignitatem adspirabis, neque patriae tuae Te salutare sidus illuxisse solum probabis, sed in nostram quoque Bataviam, cujus fata quam arto nexu cum Britanniae tuae sint conjuncta nemo nescit, consilii & prudentiae tuae fructus redundabunt. Et cum Britanni fortem tuum animum & constantiam in subeundis pro publica

DEDICATIO.

dem necesse esse credimus, sed, cum Neoptolemo illo, paucis. Omnino, haud placet. Discendum esse non solum quid deceat, & aequum fasque sit, sed praecipue quid fiat fierique soleat, arbitramur. Non à sibi placentibus magistris, & qui omnem vitam in museis & umbra latentes peragunt, sed ab iis, qui se humanitati accommodantes, & in luce & inter homines agentes, ingenia aestimare, mores diversorum cognoscere ipso magis usu & rebus, quam praeceptis, monstrare possunt, formari debent generosae adolescentiae pectora. Quae ubi recti & aequi prima principia, quae in facili posita, & brevi tradi possunt, arripuerunt, deinde ex praeteritarum rerum similitudine res praesentes aestimare, consilia & conjecturas de futuris ex eventu anteaactorum capere promptissime poterunt. Numquam ita formatus Vir, ad nova & inexpectata stupebit,

D E D I C A T I O.

bit, sed ad subita paratum semper ingenium & mentem adhibebit, ad res afflictas erigendas remedia, ad prosperas moderandas modum inveniet, & inter depravatissimos aularum & curiarum mores, clavum semper rectum, sine inani sapientiae ostentatione, tenebit; & patriae civibusque suis non imaginariam, sed veram virtutem exhibebit. Hanc Tu, nobilissime Adolefcens, viam feliciter ingressus, jam limen Templi, quod Honori & Virtuti consecratum est, liberafti; hac eâdem procedens ad ampliorem & meritis tuis debitam dignitatem adspirabis, neque patriae tuae Te salutare fidus illuxisse solum probabis, sed in nostram quoque Bataviam, cujus fata quam arto nexu cum Britanniae tuae sint conjuncta nemo nescit, consilii & prudentiae tuae fructus redundabunt. Et cum Britanni fortem tuum animum & constantiam in subeundis pro publica

DEDICATIO.

blica salute laboribus , praemiis & honoribus pensaverint , Nos Batavi benevolentiam & propensum erga nos animum , gratissima mentis & vocis significatione celebrabimus. Vale. Dabam Leidae ipsis Kalendis Juliis MD IO CC XIX.

PR AE-